

*baptismi ad Can. 13. Hic unus remissionis & fidei modus in continuatione.* Contingit autem (*alter modus*) sæpè, ut apprehensio illa sub dicto modo implicito & simplici atque directo tantùm, in ipsa continuatione, *erumpat in explicitum & reflexum* quendam apprehensionis gratiæ actum, qui simillimus est ei, qui primus apprehendendi actus in ipsa conversione fuerat. Et hæc apprehensio seu remissio sub modo suo explicito & reflexo in continuatione minus habet, vocari solùm *fidei continuationem* (quam tamen non secludit, sed potius involvit & sibi substernit) quia *plus continet*, quàm continuatio sequioris modi impliciti, modò dicta & explicata; sed ut æmula ipsa est primæ explicitæ apprehensionis, ita *dicitur* *mutat* ex illa apprehensione explicita, *iterata apprehensio*, quàm *apprehensionis continuatio*.

§. 18. Quæ dicta sunt, *unico exemplo* eoque facillimo illustrentur. Convertitur homo ethnicus prædicatione verbi ad fidem, & quærit peccatorum agnitorum remissionem, quærit & invenit in Evangelio. Accipit eam & acquiescit. Hactenus *primus* apprehendendi remissionem actus, qui citra dubium explicitus est & reflexus respectu conversi. Idem conversus, agricola si est, fodit posthac agrum intentus ibi non remissioni peccatorum, sed *fossioni explicitè & reflexè soli*, & tamen peccatorum *remissionem* apprehendendo ibidem *continuat*, licet non explicitè & cum reflexione id fiat. *Huc usq;* versatur in continuatione acceptæ remissionis, *sub priori modo*, sub modo implicito & simplici tantùm. Tandem suo tempore vir ille adhuc in gratia Dei constitutus *preparat se* ad sacram confessionem, & quod sequitur, Sacramentum Cœnæ. Accedit devotâ mente & apprehendit ibi gratiam remissionis, quam quærit. Hic agit *explicitè*, quod nemo negabit, & *cum reflexione animi*, sed tamen *& hoc loco continuatur* semel suprâ in conversione accepta remissio, ergò est *modus continuationis*, isque *posterior*. Et hic ipse, quia primo omnium apprehendendi actui similis est, similiter *explicitè accipit remissionem peccatorum*, seu, ut titulus habet, *iterat & repetit collationem remissionis peccatorum sub continuatione*.

§. 19. *Nec obstant huic continuationi Peccata venialia, quæ intercurrent & quotidie subrepunt, quorum remissio tam præsens est,*